



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio secunda. Vtrum motus cœli sit naturalis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)



Magistri Durandi de  
QVÆSTIO SECVNDA.  
Vtrum motus cœli sit naturalis.

Tho. 1. q. 70. ar. 3. ad 4.

**SECVNDO** quaeritur, vtrum motus cœli naturalis sit. Et videtur quod sic per Philosophum. 2. cœli & mundi, qui dicit quod cuiuslibet corporis naturalis est aliquis motus naturalis. Sed cœlum est corpus naturale, ergo &c.

2. Item secundo Physicorum dicitur quod natura est principium motus, in eo in quo est, sed corpus caeleste naturam aliquam habet, ergo &c.

3. IN Contrarium est, quia motus naturalis non est nisi corporis extra locum suum existentis naturalem, & terminatur ad quietem naturalem in loco suo, sed cœlum non est extra locum suum, ergo &c.

4. **RESPONSIO.** Dicendum quod motus cœli non est à natura, nec ab anima, prout anima dicit substantiam viuentem unitam materiam in ratione formae, sed est ab intelligentia. Primum patet, quia natura corporis simplicis inclinat ad unum motum & simplicem, sed in cœlo non est vnus motus tantum, sed plures non solum in diuersis spheris, sed in eadem, etiam in eodem planeta: & tamē cœlum est simplex corpus, ergo &c. Maior patet, motus enim naturalis correspondet formae mobilis, quae inclinat ad motum: & ideo licet forma mixti, quae virtute continet formas mixtibilium possit inclinare ad motum secundum omnem differentiam loci (propter quod & motus augmenti non est solum sursum, quia non est solum à virtute ignis, vt aliqui crederunt, sed est ad omnem differentiam positionis, quia est forma planetae, quae est forma mixti) tamen forma corporis simplicis ad vnum solum inclinat. Minor patet, quia sphaera planetarum non solum mouetur ab Oriente in Occidentem motu diurno, sed e contrario vt patet ad sensum, praecipue in sole & luna, in eodem etiā planeta praeter motum sphaerae suae ponitur motus secundum eccentricum & epicyclum, vt magis patebit in questione sequenti. Nec potest dici quod sphaerae differant specie, sicut elementa, & ideo mouentur diuersis modis, quia sequeretur quod essent plura corpora simplicia, quam quinque. Et iterum planeta est de natura suae sphaerae, vt dicitur secundo cœli, & tamē habet alium motum à motu sphaerae. Et iterum omnes sphaerae aliquantulum adinuicem conueniunt, sed sphaerae planetarum conueniunt secundum speciem (saltem motus eorum non arguit diuersitatem speciei) cum omnes moueantur ad eandem partem, ergo &c.

5. Secundo patet idem sic, motus est naturalis ex conaturalitate mobilis ad terminum, sed conaturalitas mobilis ad locum non potest causare motum in loco, ergo &c. Minor probatur, quia sicut est in actibus animae, sic suo modo in actibus naturae, sed in actibus animae sic est quod bonum conueniens si sit praesens causat delectationem, quae est quasi quies animae, & non desiderium, quod est quasi motus, ergo similiter in actibus naturae conuenientia locati cum loco causat quietem in loco, & non motum.

6. Tertio, quia si motus cœli esset naturalis quies in eodem loco esset violenta, & ita cum cœlum in fine mundi cesset à motu, quies illa esset violenta, quod est inconueniens, quia tunc cœlum non erit in deteriori conditione, sed meliori. Item motus naturalis est à dante formam, quae conseruata non oportet dare alium motorem per se, sed solum quod remoueat prohibens, si sit impedimentum, sed cœlo datur alius motor per se, scilicet intelligentia, ergo &c. Non est ergo motus à natura cœli proprie, neque tamen est contra naturam, quia non est in oppositum inclinationis naturae, cum natura eius ad nullum motum inclinet. Exemplum de corpore mathematico, potest tamen dici naturalis, secundum quandam adaptationem & conuenientiam. Congruum est enim vt corpus caeleste, quod neque est graue, neque leue moueatur tali motu, per quem non accedit ad medium, vt grauius, nec recedit à medio vt leuius, & talis est motus circularis.

7. Secundum patet, quod scilicet cœlum non mouetur ab anima sibi unita in ratione formae, quia secundum vnā opinionem prius tactam dist. 11. In cœlo non est compositio materiae & formae, sed dato quod esset, & quod illa forma esset anima, adhuc probatur quod non moueretur ab ipsa. Cum enim idem secundum idem non possit esse mouens & motum, imò oportet motum ex se diuidere in partem, quae

Sancto Porciano

mouet & quae mouetur (vt dicitur. 8. Phys.) Pars quae moueret aut esset forma, & quae moueretur esset materia, aut pars vna quantitativa composita ex materia & forma moueret aliam partem quantitativam ad imperium animae, sicut fit in animalibus. Primum non potest dici, quia materia secundum se non potest habere rationem mobilis, cum secundum se non sit quanta vt secundum se sit subiectum actus ens, quod requiritur ad motum praecipue localem, neque forma respectu materiae potest habere rationem motoris, quia forma & agens non coincidunt in idem secundum numerum respectu eiusdem, & ideo cum cœli anima respectu materiae ipsius se habeat vt forma, & quicquid erat esse nullo modo potest habere rationem agentis, quae est vnus principium motus. Nec secundum potest dici, quia mouens & motum sunt contacta, & non continua (vt dicitur. 8. Phys.) Sed partes quantitativae cœli exceptis forte corporibus planetarum, sunt continuae, & non contactae, quare &c.

8. Ex his patet tertium, quod cœlum mouetur ab intelligentia, quia omne quod mouetur, ab alio mouetur, sed cœlum mouetur, & non à natura, vel à dante naturam (vt probatum est in primo articulo) neque ab anima conuenientia (vt probatum est in secundo) relinquatur ergo quod ab intelligentia. Et probatur consequentia. Quia cum motus cœli non sit violentus, nec naturalis, oportet quod sit voluntarius voluntate intellectus coniuncti vel separati.

9. Ad argumenta patet solutio. Non enim cuiuslibet corporis naturalis oportet esse aliquem motum naturalem, nisi habeat quietem naturalem, vtrumque enim ponitur in diffinitione naturae, scilicet quod est principium motus & quietis, & haec duo solum competunt corruptilibus.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum stellae moueantur motu solum suae sphaerae, vel praeter illum habeant proprium motum.

**TERTIO** quaeritur, vtrum stellae moueantur solum motu sphaerae, an praeter illum habeant proprium motum. Et videtur quod non habeant proprium motum, quia cœlum est ingenerabile & incorruptibile, ita indiuisibile, cum diuisio fit via ad corruptionem, sed si stellae mouerentur motu proprio diuideretur, quia non seruentur in cœlo eundem situm, ergo &c.

2. Item motus cœli est circularis, sed si stellae haberent motum proprium, ille non esset circularis, igitur &c. Minor probatur, quia quod mouetur circulariter, non mutat locum, stellae autem si haberent motum proprium ex toto mutarent locum, ideo &c.

3. IN CONTRARIUM est Ptolomaeus & alii astrologi.

4. **RESPONSIO.** Stellarum quaedam sunt in octaua sphaera, quae dicuntur fixae. Alii vero sunt in inferioribus spheris, & dicuntur planetae, nec sunt plures in eadem sphaera.

5. De primis dicendum quod mouentur solum motu octauae sphaerae, quia frustra ponerentur plures motus vbi sufficit vnus, sed omnia apparentia circa stellas fixas optime saluantur ponendo eas moueri solum motu octauae sphaerae, quia stellae fixae semper seruant eandem elongationem & approximationem ad inuicem, quod optime saluatur ponendo quod solum moueantur sphaerae suae, ergo &c.

6. De planetis autem quamquam dicitur idem Arist. 2. cœli & mundi. Tamen verius dicunt astrologi ponendo ipsos moueri secundum eccentricos & epicyclos. Et de eccentricis apparet quod stella quae mouetur solum motu sphaerae non potest quandoque magis quandoque minus ad terram appropinquare quia omnes sphaerae sunt concentricae sed planetae, quandoque appropinquat ad terram magis vno tempore quod alio (vt patet per experientiam astrologica) quare &c. propter quod coacti sunt astrologi ponere motum planetarum in circulis eccentricis quorum pars vna maxime remouetur à terra & dicitur aux, siue eleuatio. Altera vero maxime accedit ad terram, & dicitur oppositum augis.

7. Similiter patet de epicyclis, quia si planetae mouerentur solum motu sphaerarum, cum sphaerae planetarum moueantur

107. 2. parte  
108. d. 4. 2.  
109. in. 4. d. 49  
110. 2. 2. 11. 6.